



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

In Deo sunt plures ideæ sola ratione distinctæ. c. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

modi respectus, quibus multiplicatur idea, non causantur à rebus, sed ab intellectu diuino comparante essentiam suam ad res.

Ad quartum dicendum, quod respectus multiplicantes ideas non sunt in rebus creatis, sed in Deo, Non tamen sunt reales respectus: sicut illi, quibus distinguuntur personæ: sed respectus intellecti à Deo.

Conclusio articuli est affirmans, quam disputatione vnica cum tota articuli doctrina breuiter explicabimus: præter illam vero nihil est in hoc articulo, quod explanatione aliqua indigeat.

DISPUT. LXXIII.

Quo pacto in Deo sint plures ideæ.

In Deo sunt plures ideæ sola ratione distinctæ, cap. 1.

Ideæ in Deo non distinguuntur intellectu diuino, nec humano videns Deum, sed viatoris solum, cap. 2.

Non dicuntur in Deo esse plures artes, aut scientiæ, sicut dicuntur esse plures ideæ, cap. 3.

CAPVT I.

In Deo sunt plures ideæ sola ratione distinctæ.

Proposita difficultas in ea solum opinione locum habet, quam disputatione præcedenti secuti sumus: videlicet ideam creaturam in Deo esse ipsammet essentiam Dei. Nam si vera esset Scoti sententia, quæ dicit ideas esse creaturas ipsas obiectiue in Deo existentes, absque dubio plures essent ideæ etiam realiter distinctæ in mente ipsius. Sed cum dictum sit ideam esse essentiam Dei, & ea simplicissima sit, dubium est, an plures, vel vna tantum idea concedi debeat: in hac vero difficultate Bonau. in 1. dist. 35. art. 1. q. 2. recenset quorundam sententiam, qui asserunt, plures ideas creaturarum in Deo esse, etiam sequendo opinionem, quæ docet, ideas non esse creaturas obiectiue in Deo existentes, sed essentiam eius. Neque vero hæc opinio fuit Gilberti, non enim eodem modo de attributis & relationibus diuinis dicebat re ipsa ab essentia Dei distinguuntur, vt disput. 116. c. 2. videmus, de hac sententia dicit Bonau. etiam si primo aspectu probabilis videatur, errorem esse manifestum, quia diuinæ simplicitati manifeste aduersatur. An vero hoc ita sit, & qualis fuerit damnatio Gilberti in Conc. Remensi, disp. 120. fusius dicitur. Interim tamen de ideis, sicut de attributis, cum antiquioribus Theologis dicamus non realiter, sed neque formaliter ex natura rei media inquam illa distinctione, quam Scotus excogitauit, sed sola ratione distinguuntur, id quod loco citato probandum nobis est: habet enim communem rationem hæc idearum distinctio cum distinctione attributorum.

De ideis ita philosophantur, & docent cum S. Tho. in hoc art. Caiet. & recentiores Thomistæ, Alex. 1. p. q. 2. m. 4. art. 1. §. 3. Alber. in 1. d. 35. art. 9. Bonau. art. 1. q. 3. Ricard. d. 36. art. 2. q. 3. Aegid. art. 2. q. 2. præsertim ad 1. Capreol. q. 1. artic. 1. conclus. 3. Th. de Argent. q. 1. art. 1. in principio. Marfil. q. 1. prolog. ar. 2. p. art. imo & Dur. d. 36. q. 3. nu. 5. cum docuisset ideas esse ipsas creaturas obiectiue in Deo existentes, censet posse etiam ideam dici quodammodo essentiam ipsam: sed addit hoc pacto re ipsa vnicam tantum esse, & ratione solum multiplicem. Ex alijs vero commemoratis

Vasquez, in 1. part. Tomus I.

Alber. putat commodius dici vnam tantum ideam in Deo esse plurium rerum, quam plures ideas rerum. Consentire videtur Aureol. quem refert Capreol. in illo primo art. imo & Duran. notauit melius dici plures rationes ideales in Deo esse, quam plures ideas, si idea sit ipsamet essentia Dei. Denique Marfil. asserit, ideas in Deo distinguuntur solum obiectiue, hoc est ex obiectis; loquitur fortassis more Nominalium, qui nullam concedunt in re aliqua distinctionem rationis, bene tamen distinctionem per connotata vel obiecta, de quo etiam loquendi modo loco citato tractandum erit.

Hoc saltem ex his omnibus auctoribus, vt certum colligamus, plures in Deo ideas non esse distinctas ex natura rei, sed sola ratione, siue hoc, siue illo modo loquendum sit. Porro absque alio additamento dici posse in Deo plures ideas non minus quam plures rationes ideales, ego non dubito, viroque enim modo loquendi denotatur ordo aliquis ad intellectum distinguentem, eo quod nomen idea relatum sit, & significet essentiam Dei, sed relatum ad creaturas, quæ relatio cum sit rationis absolute dicitur multiplex in Deo, prout hoc nomine significatur, sic etiam non est, cur communi modo loquendi refugiamus concedere potius plures ideas rerum in Deo, quam vnicam plurium rerum, vt dicebat Alber. semper enim loquimur nostro modo nominandi, & concipiendi: sicut communiter dicimus in Deo plura esse attributa. Et quidem August. plures eas appellat, cum dicit lib. 8. quæst. q. 46. alia ratione conditum esse equum, alia hominem, & Dionys. cap. illo 5. de diuin. nomin. non longe à fine, cum ideas, & exemplaria rerum in Deo appellat bonas voluntates, & prædestinationes.

CAPVT II.

Ideæ in Deo non distinguuntur intellectu diuino, nec humano videns Deum, sed viatoris solum.

Sed inter auctores, qui dicunt ideas in Deo sola operatione intellectus distinguuntur non satis conuenit, vtrum diuino intellectu, an solum humano distinguantur. Tho. de Argen. plane docet, idearum distinctionem non ab intellectu humano, sed solum à diuino provenire. Probat vero, quia id, quod distinguit, non potest esse posterius eo, quod distinguitur: sed ideæ sunt æternæ, & intellectus humanus temporalis, ergo non possunt ab eo distinguuntur, cetera omnia argum. sunt eiusdem farinae, quæ facili negotio vnica solutione diluentur. Porro autem intellectum diuinum distinguere in sua essentia diuersos respectus, quibus multiplicentur ideæ, ipse & ceteri, quos recensimus disp. 118. docent, eo quod nihil obstat, quo minus Deus ita seipsum intelligat, sicut videt se à viatoribus etiam intelligi. Hanc sententiam ex parte sequuntur alij Theologi non infimi nominis, cum asserunt ideas quidem ab intellectu diuino distinguuntur, non tamen negant à nobis etiam distinguuntur posse. Sic vero docent Henric. quodlib. 9. q. 1. Aegid. q. citata præcedenti cap. ad 1. Capreol. in 1. d. 36. q. 1. artic. 1. circa finem, ad 3. contra 2. conclus. imo & S. Thom. in hoc art. 2. ad 2. & 2. Caiet. & alij recentiores ibidem, clarius, r. contra gen. ap. 54. & ibidem Ferrar. fauent etiam alij, quos disput. 118. commemorabimus, qui docent attributa in Deo non sola ratione nostra, sed etiam intellectu diuino distinguuntur.

Adhuc tamen in explicanda hac opinione Doctores

Kk 2

Abolute in Deo sunt plures ideæ.

Augustinus.

Dionysius.

Opinio Argen. Ratio illius.

Eidem sententia fauent alij.

Henricus.

Aegidius.

Capreolus.

Thomas.

Caietanus.

Ferrar.

In quo distinguuntur.